

TRACTATIO  
Q V A  
**LUPANARIA,**

VULGO

**Suren = Säuser,**

EX


PRINCIPIIS MEDICIS IMPROBANTUR;

AUCTORE


**GEORGIO FRANCO,**

MED. ET PHILOS. DOCT. AC PROFESSORE IN ACAD.  
HEIDELBERGENSI QUONDAM CELEBERRIMO,

PUBLICE IBID. VENTILATA 1674.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
E Typographeo Joh. Christ. Heudelii, 1674. (3)





B. C. D.

§. I.



Unquam defuerunt inge-  
nia, quorum dicam luxu-  
ria an acumine actiunculæ  
sunt institutæ de rebus mo-  
do vilibus modo plane no-  
xiis; quibus vel laudem;  
vel laudis speciem comparare sunt annisi.  
Laudarunt ISOCRATES Busiridem tyran-  
num, GORGIAS *Leontinus* Helenam adul-  
teram; FAVORINUS Thersiten monstrum  
istud hominis, THRASYMACHUS (ap. PLATON.  
*in dial. 1. de Rep.*) injustitiam, HEGENDOR-  
PHINUS, BUCOLDIANUS atque TURNERUS ebrie-  
tatem; LUCIANUS muscam, PICUS Mirandu-  
læ Comes barbariem; I. DOVSA umbram;  
SYNESIUS Calvitem; PASSERATIUS *Coccita-*  
tem

A. 2

tem & asinum; *Matthias CZANAKIUS* scabiem; *PIRKHAIMERUS*, *CARDANUS* &c. Podagram; *INSULANUS* febrim quartanam; *ERASMUS* stultitiam; *HEINSIUS* pediculos, *MAJORAGIUS* lutum, *Cælius CALCAGNIUS* podicem, *Carolus LIEBHARDUS* latrinalm; immo *BRUNO Italus* publicitus Wittebergæ Diabolum; ceu habent *C. DORNAVIUS* in *Encom. Invidiæ p.m.5.sqq.* *HEIDERUS* orat. 2. de vulpeculis Scholasticis p.m.30. &c.

## §. II.

Quemadmodum vero ejusmodi specimina vel joci vel ostendendi ingenii gratia suscipiuntur; ita faciliorem merentur veniam, ac isti, qui serio res turpes & noxias vel ob lucellum vel ob alia commendant. Hos inter refero qui *LUPANARIA* Reip. utilia exclamant, ne scilicet tententur matronæ ac virgines castæ, ne prolis multitudine ad paupertatem familiæ adigantur, & si quæ nugæ sint aliæ, uti fecerunt *Arnold. CLAPMAR. l. 4. de arcan. rerump. cap. 19. Scipio AMIRATUS l. 3. differt. polit. in Tacit. discurs. 2. &c.* Et eadem concedenda esse, videntur affirmare quoque *THOMAS. l. 2. q. 101.*

101. a. 32. it. 22. q. 10. art. u. & P. GREG. Tholos. 14. de Rep. c. 1.

§. III.

Quin immo in proclivi sunt varia exempla vetera, recentia. Apud gentes passim tolerabantur BALDUIN. *Cas. Consc. l. 4. c. 12. cas. 18.* Ancon fuit locus Sardis voluptatum ministeriis paratus, in quo popinæ, scorta atque aliæ id genus deliciæ, ATHENÆUS *l. 12. Diplos.* Chinenses ut castissimas suas uxores magis conservent illibatas, publica permittunt Lupanaria, & ne probis scandalum præbeatur, ea aperiunt extra urbem, vel in suburbis & ne in publicum prodent cohibentur. *Job. de MENDOZA de Chin. l. 3. c. 20. p. 152.* Olim in prædiis urbanis solebant esse, & quidem etiam multorum honestorum virorum prædiis exercebantur, ULPIAN. *l. ancillarum 27. ff. de Her. pet.* (quod tamen merito improbat LANSIUS *orat. contra Ital. p. 833.*) In Italicis Civitatibus passim haberi publica Lupanaria scribit David FRÖLICH. *Vistor. p. 1. l. 3. p. m. 419.* Adeo ut publicis vestigalibus elocentur. M. CHEMNIUS *p. 3. Exam. Concil. Trid.* atque Lamb.

DANÆUS l.2. *Ethic. Chrift. c. 15. ap. CARPZOV.*  
*prax. Crim. p. 2. q. 70. n. 10.* Maxime Romæ  
 testibus SCHÖNBORN. *polit. l.3. c. 13.* & BAL-  
 DUIN. *l. a.* sic A. C. 1620. Romæ numeratæ  
 fuerunt 1402. meretrices publicæ, vide ap.  
*LIMNÆUM additt. ad lib. 9. c. 1. n. 86.* Et Pontif.  
 ex Roman. in fiscum suum annuatim ultra  
 3000. coronatorum pro lactis censu, quem  
 vulgo dicunt Milch-Zinse, oder Huren-Zoll,  
 a clero scortisque accipit, ceu ex Job. GER-  
 HARDO *in loco de Ecclesia p. 1190.* & B. MEIS-  
 NERO allegat CARPZOV. *Prax. Crim. p. 2. q. 70.*  
*n. 7.* „Veneti e Germania olim quotannis  
 „certo stipendio meretriculas conducebant,  
 „quæ vulgi prostarent libidini, juxta carni-  
 „ficiam publicam, ubi D. Matthæi fanum  
 „est. Cæterum ea fuit Venetarum mulie-  
 „rum docilitas, ut Barbaris nunc non sit o-  
 „pus scortillis, quin re ipsa ostenderunt, si-  
 „ve copiam, sive artem meretriciam spe-  
 „ctes, κρείτους ἔνας διδυκάλων μαθητας, EGNATI-  
 us *l. 6. c. 1.* Ibi quoque *Signori de la Sanità*  
 habent matriculam vel catalogum meretri-  
 cum: vide ap. LIMN. *l. a.* Quod etiam Nea-  
 poli, ubi ultra 50000. fieri dicitur, scortaque  
 de-

debent nomina sua profiteri & certam pecuniam persolvere, LIMN. l.c. In *Urbe Parisiensi* olim prostibula & lupanaria in ultimis partibus civitatis erant certis locis finita: hodie vero exinde contagio per omnia urbis viscera diffusa, maxime referta est ejusmodi mercibus, ceu ex *Nic. a SALIS* allegat *SPEIDEL. obs.f.m. 614.* *Cracoviæ quoque haberi* refert *FRÖLICH. l.c.* Campegius Cardinalis dixit se scire Germaniæ quorundam Episcoporum hunc esse morem, ut accepta pecunia scortationem suis permittant, ap. *Jo. SLEID. l. 4. de statu relig. p. m. 94. ad An. 1524.* Et quod magis est *H. C. AGRIPPA de Vanit. scient. cap. 63.* ait: Palam videmus,, ubicumque sunt magnifica ista templa, &,, sacerdotum monachorumque collegia, ut,, plurimum in proximoesse lupanaria: quin,, & plurimæ monialium & vestalium & Be-,  
guinarum domus, privatæ quædam me-,  
retricularum fornices sunt, quas etiam,,  
monachos & religiosos (ne diffameretur eo-,  
rum castitas) nonnunquam sub monacha-,  
li cuello ac viriliveste in monasteriis aluis-,  
se, scimus., Plerumque autem sunt lupa-  
naria

ñaria in civitatis locis obscurissimis, pone  
muros & balnea, scribente LOTICH. nott. ad  
*Petron. p.m. 68.*

§. IV.

Verum quibus sanctiora sunt præcordia, ii maxime detestantur brutam hanc  
forditudinem. E THEOLOGIS saltim  
præter BIBLIA & præcipue GENTIUM  
DOCTOREM nominamus LACTANTIUM  
*l. 6. Inst. div. c. 23. AUGUST. de C. D. l. 14. c.  
18. & l. 18. c. 21. TERTULL. l. de anima. ISIDOR.  
l. 18. c. 42. & BALDUIN. Cas. Consc. l. 4. c. 12.  
cas. 18. Ex POLITICIS & JCTIS KLOCK.  
de Ærar. l. 2. c. 146. SCHÖNBORN. CARPZOV.  
SPEIDEL. DANÆUM ll. aa. KITZEL. Synops. ma-  
trim. c. 9. theorem. 2. CANONHER. l. 2. Discurs.  
ad Tacit. Ann. BOCER. l. 2. de illuſtr. Stat.  
& polit. c. 4. p. 193. H. LATHER. de Censu l. 2.  
c. 4. n. 34. LIBENTHAL. Coll. Pol. Exerc. II.  
q. 13. ZEPPER. in explan. LL. Mosaic. l. 4. c. 18.  
f. 456. Et præcipue R. A. zu Franckfurth  
de Anno 1548. ac P. O. de Anno 1577. tit. 26.  
Ut taceam multos Impp. e militibus suis lu-  
panaria sustulisse, quorum vide exempla  
ap. ZWINGER. theatr. V. H. vol. 9. l. 3. f. m.  
2272. b. seq. a. §. V.*

## §. V.

Restat ergo ut & Medici suum addant Symbolum; quorum vices vice hac nobis sumsimus donec meliora meliores. Antea vero quam id ipsum præstemus ipsum nomen ex Philologorum monumentis (illa enim præterire mihi fere religio est) eruamus.

## §. VI.

*Sυρρομέλας* præmittimus. *Lupanar* QVIN-TILIANO (quod CALVINO *Lex. Jur. bac voce f. m. 546.* est locus in quo diversantur mere-trices: seu, ubi corpore quæstum faciunt: vel ex BALDUIN. est locus publicus, ubi me-retrices & prostibula corpore suo impune quæstum faciunt) it. *Lupanarium l. 21. §. sed si in aliquem ff. de recept. qui arbitr. & l. ancillarum 27. ff. de Her. pet. Gloss. πορνεῖον, fornix, ganeum, lupanarium.* ONOMAST. Lupanar *χαμαιτυπεῖον.* Lupanaris *χαμαιτυπικῆς;* nempe adjective, sicut AMBROSIUS dixit lupa-nare consortium ap. MARTIN. *Lexic. Phil.* Dicebatur etiam STABULUM ceu *Job. à WOWEREN ad Petron. Sat. cap. 6.* notat ex

PLAUTI *Pæn.* l. 2. 57. Immo PROSTIBU-  
 LUM dicatur censemibus ISID. 18. 42. BEC-  
 MANN. *de orig. LL.* p. 473. & MARTINIO. Sed  
 falluntur, cum ea vox ipsum scortum no-  
 tet, ait CALVIN. *Lex. Jur. l. c.* SUMMOE-  
 NIUM quoque vocabatur Romanis, qua-  
 si *submoenium*, quia fere sub moenibus es-  
 set, inde sunt *Summoenianæ uxores* apud  
 MARTIAL. III. 82. & XII. 32. quæ corpora  
 sua prostituebant scribente BALDUIN. *loc. cit.*  
 THEATRUM audiat etiam juxta ISID. &  
 alii ex MART. l. 3. nituntur idem asserere.  
 Verum aliter debemus interpretari, conf.  
 SALMUTH. *ad Panciroll. tom. i. tit. de Habit.*  
*Impp. p. m. 421.* Apud Græcos hæc loca va-  
 ria sortiebantur nomina. Dicebantur *Ca-*  
*leria, Celostia, Casalvia, Casauria*, quia me-  
 retrices, quæ hæc loca inhabitabant, dice-  
 bantur *Casalvæ & Casauræ, Casorides &*  
*Casoritæ*, ut annotavit TIRAQVELL. *ad. c. 18.*  
*l. 4. Al. ab Alex. G. D.* & ex hoc BALDUIN.  
 Dicebantur etiam MERITORIA, ceu ha-  
 bent *Glossæ Isidori* item MONUMENTA,  
 quia cameræ erant fornicesve ap. C. BAR-  
 THIUM *advers. l. 24. c. 13.* it. LUSTRA ceu NON.

MAR-

MARCELL. c. IV. §. 272. probat ex PLAUT. *A-sin.* & *Casin.* ex TURPILLIO in *Lindia*, ex A-FRAN. in *pivign.* & ex CICER. *Philipp.* l. 2. Habet quoque BARTHIUS *Adv.* l. X. c. 2. quia in principio scorta in silvis seu lustris: dein in urbes translata nomen obtinuere speluncæ scortorum. Item ARCUATA videntur dicta; ISIDOR. enim l. X. lit. F. inquit. Sub arcuatis prosternebatur fornicaterix, quæ loca *fornices* dicuntur. Item CELLÆ ceu LOTICH. in *nott.* p. 69. ad *Petron.* probat ex SENECA. JUVENAL. *satyr.* 6. atque MARTIAL. item CELLULÆ uti SENECA. l. i. *controv.* 2. & HIERONYM. in *Chron.* *Euseb.*

### §. VII.

Dicitur autem Lupanar a lupa, quo nomine primo Faustuli uxor inter pastores ob corporis vulgati vilitatem veniebat vide LACTANT. l. i. *Inst. div.* c. 20. & HIERON. l. d. Notant deinde lupæ omnes eas, quæ quantum corporis fæda voluptate faciunt pluresque admittunt. Nolo tamen confirmare fabulam gl. in c. *vidua* 16. *dift.* 34. ubi meretrix est quæ 23000. vel quæ 40. abs-

B 2 que

que tamen mercede admisit allegante WEH-  
NERO tit. Frauen und Jungfrauen f. 125. Eam-  
que merito ridiculam & nugatoriam vo-  
cat SALMUTH. l. a. Rectius vero (ut obiter  
hoc addam) meretrix dicitur *a merendo*  
*juxta L. VALLAM l. 3. Eleg. c. 10.* quam se-  
cundum *Luc. de PENNA* quod *merendo tera-  
tur*, vel secundum *Alber. de ROSAT.* in di-  
ctionar. *Jur. lit. M.* quasi me retro trahens  
a bono opere seu virginitate vel castitate.  
Alias *Prosfedæ* dicuntur ex PLAUTO FESTUS  
p. 383. *Prostibulæ*, *Prostibula*, *Alicariæ*  
*Id. Diobolares* LAMBIN. ad Plaut. *Pæn. f. m.*  
608. *Sellariæ*, WOWER. ad Petron. c. 6. quam-  
vis alii malint *Cellariæ* it. *Nonariæ* ap. PERS.  
*Sat. l. v. 133.* & ad b. l. FOQVELIN. p. 49. ratio-  
nem quoque ex CORNVTO reddit Balt. BO-  
NIFACIVS *Hift. Ludicr. l. 12. c. 17. p. 365.*

## §. VIII.

Fracto putamine liberius nucleo vesci-  
mur, Lupanaria certe improbantur & ex  
Medicis principiis. Cum enim in fœdiſſi-  
mo loco mares effeminentur, atque justo  
largiore ſeminis effuſione remollescant;  
quid

quid quæso de posteritate sperandum? semen enim generosius generationique idoneum prodigaliter effunditur, sedatoque voluptatis impetu vel matrimonia non appetunt, vel sterilia demum colunt. Conf. B. TIMÆI a GÜLDENFLEE *Casus*, & præcipue mares cito sterilescunt, vid. PLUTARCH. in *vita Lycurg.* Quia semen exhauritur GAL. l. i. de sem. ut & feminæ vid. TIRAQVELL. l. XV. connubial. §. 68.

### §. IX.

Prodigiosa porro seminis rejectio immensas corpori infert ægritudines. Sive enim illud secedat ex totocorpore (DEMOCR. & HIPPOCR. l. π. γονῶν ab initio) sive ex cerebro (ALCMÆON) sive a corpore & anima convelatur (EPICURUS) s. a spinali medulla defluat (PLATO & ALCINOUS *de doctr. Plat. c. 17.*) s. sit utilissimi sanguinis spuma (PYTHAGORAS) s. ultimi alimenti sanguinei excrementum (CARISTOTEL.) Conf. H. C. AGRIPP. d. V. S. c. 82. s. sit sanguis venosus (GALEN. l. de sem. c. 2.) s. sit purior sanguinis arteriosi portiuncula (l. v. HORNE *microc.* §. 66. & R. de GRÆF. tr.

B 3 de

*de vir. org. gen. p. 74.)* sive sit ex venis & arteriis simul (VESAL. l. 5. de H. C. F. c. 13.) s. sit mistura ac temperatura ab omnibus animæ facultatibus avulsa (ZENO & PLUTARCH. l. de ira conducenda citante ROLFINK. med. comm. l. 2. f. 3. c. 103.) sive e junctis sanguinis & spiritus animalis portionibus constet (CL. D. BRUNO *Fautor & Amicus carissimus dogm. med. gen. p. m. 61.* WARTHON. *Adenogr. c. 29.* MOEBIUS ac l. T. SCHENK.) sive ex rore (BILSIUS in resp. ad Epist. Tob. Andreæ p. m. 8. s. ex sero (BARBAT. *de sangv. & sero p. m. 46. seqq.*) s. ex ipsis spiritibus animalibus (CHARLETON. *Oecon. anim. Exerc. X. f. 8.* M. F. HER TOD. in Anno i. *Ephem. Acad. Nat. Cur. obf. 4. & Nos in Satyra Med. f. 6.*) ubique tamen illud ejetamentum nobilem corporis notat jacturam. Quare manifeste istos lascivoshircos videmus non solummodo pallere, vel ipso *Amorum Magistro* teste l. 1. de arte amandi circa fin. & AETIO retr. l. f. 3. c. 8. Sed & calore nimio ardere (amor enim igni solemniter poetis comparatur) inde tabes & ariditas corporis, virium lapsus; elumbes incedunt, morbisque calidis

*lidis e. g. febribus, mania, pbrenitide, pleuritide, peripneumonia, podagra &c. facillime, sed gravissime, corripiuntur.*

§. X.

*Et qui possit fieri aliter? Ista prostibula cuivis voluptati patent, quem ad modum*

*Noctes atque dies patet atri janua Ditis.*

Quare ex effervescentia illa humorum per amoris vagi & lascivi cestrum humores boni absumuntur, vitiosi augentur, autem ad tenuantur, ad tenuati facilius inficiuntur, infecti evolant, evolantes apprehenduntur,

*- - - sœvamque exhalat opaca Mephitem*

impellex, inficitque omnes qui impuritatem impuritati commiscent, ut inde evadant impurissimi. Hocque in privato scorto sœpe contingit, nedum in publicis lupanaribus, ubi impune

*- - - intra muros peccatur & extra.*

§. XI.

## §. XI.

Et cum isti, qui ejusmodi libidinosos congressus depereunt, sint maxime Cholerici; spiritus & consequenter semen igneam fovebit naturam, quod per varias impuras commissiones sordidiorum contrahit putruginem, ut dein ipsum scortum & scortatores coinquinentur inficiendo semet ipsos; atque ita, ut in proverbio est, *Turdus sibi cacet malum.* Digni, certe, qui hoc miserabili scortatorum flagello (ceu luem venereum appellat *FOREST.* l. 32. *Schol. ad obs. 2.*) egregie castigentur. Hæc etenim unice ex lupanari publico tetricam trahit originem, si credimus, quæ refert *Idem l. a. Schol. ad obs. 1. f. 65.* eo videlicet tempore, quo Carolus Rex Francorum expeditionem Italiam parabat in Valentia Hispaniæ Tarragonensis civitate insigni cepit, ubi elephantiosus quidam ex equestri ordine miles a nobili quodam scorto nomine 50. aureis emit, ad cuius mulieris concubitum frequens cum juventus accurreret, intra paucos dies supra 400. inficiebantur, e' quorum numero aliqui Carolum

lum Italiam petentem seuti, hoc malum eo importarunt. Originem luis ejus ex abusu scortorum impurorum ob detestandos atque a Deo vetitos concupitus immensamque pollutionem peculiariter traxisse, consentit Celeb. olim Vir Job. Casp. FAU-  
SIUS, Antecessor meus, *in disp. de lue vene-  
rea*; ut alios complures taceam qui de isto scripserunt morbo, quorum tantum LIN-  
DENIUS *de scriptis Med. p. m. 744. seq.* ad 88.  
auctores numerat.

### §. XII.

Et ut per Satyram quasi aliquot com-  
memorem affectus (quis enim effabitur o-  
mnes?) qui maxime ex lupanaribus col-  
liguntur; istos brevibus tangam, ubero-  
rem tractationem reservaturus (si Deus vi-  
tam & vires!) alii operi de Scortis.

### §. XIII.

Isti ergo cum basin nutritionis & ita vi-  
tae in lupanaribus prodige profundant;  
quando semen, optimarum partium &  
spirituum sobolem, copiose rejiciunt; non  
C pos-

possunt non vitam sibi decurtare, mortemque miseram accelerare, citoque senescere, ceu vel olim unanimiter statuerunt ARISTOT. VII. H. A. 1. & l. de long. & brev. vita c. 3. HALI RODOHAM in 3. technes com. 36. CONSTANT. XXII. Geoponic. 4. IBN. RUSCHID. in Canticis com. 156. ABUBETRI RHAZES. ad l. Mansor. l. 4. c. 17. Arnold. de VILLA NOVA in speculo. ALBERT. M. XV. de animal. tr. 2. c. 6. CÆL. RHODIG. XX. L. A. 34. Valeſc. de TARANTA l. VI. Philon. c. 3. art. 7.

#### §. XIV.

Multo minus difficiles sumus ad credendum eadem seminis prodigate (ut LUCILII in Satyr. 6. verbo utar) vires pessundari; prodigosque fieri imbecillos & languidos ac plane dissolvi, ceu ARISTOT. s. 4. prob. 6. & 22. atque C. CELSIUS l. 1. c. 1. edocent.

#### §. XV.

Ob nutrimenti consumtionem, defetum, partes merito conqueruntur; hinc scortatoribus in ipso ætatis flore defluunt  
non

non solum capilli sed & palpebrarum cilia  
 (qui postremus affectus Græcis μαδάεωσις, μα-  
 δαεότης ἢ μαλφωτις dicitur teste Job. GORRÆO  
*in defin. Med. lit. M. & M. SEBIZ. Disp. I.*  
*de pilis probl. V. f. 3.*) ceu confirmat sum-  
 mus ARISTOT. 3. H. A. II. & *probl. I. f. 4.*

### §. XVI.

Ventriculi actiones depravantur, per-  
 euntque tam appetitio quam concoctio  
 ABUALI IBNTSINA l. 3. *fen. 13. tr. 1. c. 36.* GALEN.  
*in l. 3. Epid. comm. 1.* atque AETIUS *tetrab. 3.*  
*f. 3. c. 34.* & Thom. BARTHOLIN. *Cent. VI.*  
*bif. 94.*

### §. XVII.

Maxime autem Cerebro infertur no-  
 xa, GALEN. & BARTHOLIN. l. a. ut minus  
 miremur si ex profusa & maxime turpi  
 venere videamus exoriri apoplexiā (VAL.  
 MAX. l. 9. c. 12. PLIN. l. 7. c. 53. PONTAN. l. de  
 Obedientia cap. 10. plura ap. ZWINGER. theatr.  
 V. H. f. 531. seqq.) epilepsiam, tremorem,  
 memoriae nisi plane defectum, tamen imbe-  
 C 2 cilli-

cillitatem; paralyſin, maniam, phrenitidem & plurima alia mala.

### §. XVIII.

Nocet itidem oculis impurior iste con-  
cubitus, vid. ARISTOT. 2. *G. A. 5.* & MANARD:  
*l. 6. Epift. 4.* renibus, ARISTOT. 4. *probl. 2.*  
capiti, ORIBAS. *l. i. Euporift. c. 22.* Cordi,  
hepati, pulmoni &c. vid. TIRAQVELL. *ad l.*  
*XV. connub. n. 43. seqq.* & Thom. BARTHOLIN.  
*Cent. VI. hif. 94.*

### §. XIX.

Instar omnium vero recensebo notabile ex FORESTO *l. 26. obf. VI.* exemplum: Sartor quidam Delphensis 29. ann. procerus, niger & robustus, neglecta uxore cum muliere alia infecta ex foetida & vetita vene re contraxit sibi in pene inflammacionem; quod malum dum celabat, inflatione virgæ ac testium augeſcente, atque dein chirurgi alicujus imprudentia accidente, fiebat pejus, ut totum membrum virile intra triduum ad esthiomenum perveniret, appareretque nigrum, corruptum  
&

& quasi mortificatum atque fœtens. In gangrænam tandem transibat & per partes putrefiebat cum tanto fætore, ut nemo apud ipsum stare posset, & hoc in tam brevi spacio. Successerunt febris, inflammatio gutturis & aphthæ, narium excoriatio, dolor ingens in lumbis, coxis ac femore, singultus per 7. dies atque molesta tussis. Tandem partes penis corruptæ ab alio chirurgo paullatim amputabantur: immo corruptione aucta, tandem totum membrum virile cataplasmati adhærens, excidit & ablatum fuit; putruitque scrotum, & quod penis adhuc superfuit, usque ad trem fuit radicitus resectum; remanentibus tamen testibus plane denudatis, qui tandem denuo carne nova accrescente iterum vestiti sunt, & idem supervixit; atque uxore priore mortua prurientibus testibus alteram duxit, inanis tamen in veneris arena athleta.

### §. XX.

Placet eodem FORESTO I. 26. obs. 20. hoc superaddere: Nobili Germano 29. ann.

una nocte inter duas pueras lascivienti,  
cum se vino prius implevisset & plusquam  
tredecim amplexus expertus esset, subito  
vena in pectori perrupta fuit. Unde fe-  
bre ardente cum delirio intra 4. pluresve  
dies misere nullis remediis juvantibus obiit,

*Vitaque cum gemitu fugit indignata  
sub umbras.*

### §. XXI.

Adeo vero sunt Cl. SCHÖNBORN. l.3. po-  
lit. c. 13. verba dicentis: *Scorta ista & lu-  
panaria quid aliud in remp. invehunt, quam  
morbos publice & hereditario graffantes?*  
*Quid aliud faciunt, quam ut ex sano insa-  
num, ex robusto invalidum, ex solido ere-  
ctoque corpore lecto affixum, perpetuisque  
doloribus arctatum efficiant?* Nimurum  
qui ex lupanari re infecta domum redeunt  
ceu jocatur OWENUS in Epigr. 108. lib. 1. re-  
liquos & ita totas familias itidem inficere  
possunt; quando vel eodem vase bibunt;  
vel in eadem cloaca desident, vel in uno  
accu-

accubant lecto: Immo mariti uxores; hæque illos; utriusque infantes & ita porro.

§. XXII.

Quare cum CICERONE I. i. de Offic. p. m.  
 44. finimus: *Si considerare volumus, quæ sit in natura excellentia & dignitas, intelligemus quam sit turpe, diffluere luxuria & delicate ac molliter vivere: quamque honestum, parce, continenter, severe sobrieque!*

F I N I S.



